



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,  
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1679**

Privilegium Urbani Papæ II. de Ecclesia Gratianopolitana.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14735**



Acharias filius Vitalis parchaminarij, Haimericus de Berneziaco, Rainaldus Vicarius, Rainaldus Porcellus, Alerius Præpositus de Lavigais; de hominibus sancti Albini, Aldulfus Præpositus, Haimmarus Malspetit, Vvalterius Bornus, Rotbertus de Trevin, Arnaldus Brion, Firmatus, & alij plures, quorum nomina longum est hic scribere; de parte Giraudi, Hubertus filius ejus, Odo de Iantret, Hil-  
dinus de Reliaco, Adraldus de Balgentiaco, Gosce-  
linus li Canpions.

*PRIVILEGIUM VRBANI  
Papæ II. de Ecclesia Gratianopolitana.*

**V**Rbanus Episcopus servus servorum Dei carissimo fratri Hugoni Gratianopolitano Episcopo ejusque legitimis successoribus in perpetuum. Potestatem ligandi atque solvendi in cælis & in terra beato Petro ejusque successoribus auctore Deo principaliter traditam illis Ecclesia verbis agnoscit quibus Petrum est Dominus allocutus: *Quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis; & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cælis.* Ipsi quoque & propriæ firmitas & alienæ fidei confirmatio eodem Domino auctore præstatur, cum ad eum dicitur: *Rogavi pro te ut non deficiat fides tua Petre. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Oportet ergo nos, qui, licet indigni, Petri residemus in loco, prava corrigere, recta firmate, & in omni Ecclesia ad interni arbitrium judicis sic disponenda disponere ut de vultu ejus judicium nostrum prodeat, & oculi nostri videant æquitatem. Tuis igitur, dilectissime in Christo frater Hugo Gratianopolitane Episcopo, justis petitionibus annuen-



tes, tibi tuisque legitimis successoribus Gratianopolitanum episcopatum regendum, disponendum, & jure perpetuo possidendum præsentis decreti pagina confirmamus, salva in omnibus Romanæ Ecclesiæ auctoritate. Constituimus ergo ne ulli omnino hominum qualibet subreptionis astutia liceat vestri episcopatus possessiones invadere, minuere, vel auferre, aut episcopatus vestri decimas sine vestra concessione subripere aut subreptas tenere, neque vestri juris Ecclesias per manum laicam obtinere; sed omnia quæ justè hæctenus vestra possedit Ecclesia, sive in futurum Domino adjuvante justè atque canonicè poterit adipisci, in tua tuorumque successorum manu integra semper & illibata permaneant. Præterea Ecclesiam sancti Donati in archiepiscopatu Viennensi sitam, quam à tyrannica potestate auctoritate episcopali adjuvante Domino extorsisti, tibi tuisque successoribus regendam, disponendam, ac jure perpetuo possidendam hujus auctoritate privilegij confirmamus, constituentes ne ulli successorum tuorum liceat eandem Ecclesiam alicui personæ vel Ecclesiæ gratis pretiove concedere, sed semper incommutabiliter cum omnibus ad ipsam pertinentibus in Gratianopolitani Episcopi potestate & possessione permaneat. Quia verò perversa quorundam præsumptio inolevit ut defunctis Episcopis res ecclesiasticæ pervadantur, auctoritate apostolica prohibemus ut cum vitæ tuæ tuorumve successorum terminus contigerit, Ecclesiæ vestræ res & possessiones diripere nemo præsumat, sed cuncta libera & inconcussa in Canonicorum potestate persistant, illi ex integro conservanda qui eis canonicè Episcopus ordinabitur. Porro sanctorum canonum decreta ubique inviolabiliter conservari cupientes, constituimus atque censemus ut interdictos à vobis aut excommunicatos in communionem recipere aut mortuos sepulturæ tradere



nemo præsumat. Vestra sanè, carissime frater, intentio erit gregi commissio curam vigilanter impendere & Romanæ Ecclesiæ decreta inviolabiliter observare; quatenus multiplicato laborum fructu, ad vitam valeatis perpetuam pervenire. Sanè si quis in crastinum Archiepiscopus aut Episcopus, Imperator aut Rex, Princeps aut Dux, Comes aut Vicecomes, aut iudex, aut persona quælibet magna vel parva, potens aut impotens, hujus nostri privilegij paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiove commonitus si non satisfactione congrua emendaverit, à Christi Ecclesia eum auctoritate potestatis apostolicæ segregamus. Conservantibus autem pax à Deo, misericordia præsentibus ac futuris seculis conservetur. Amen, Amen, Amen. Scriptum per manum Gregorij Scriniarij atque Notarij sacri palatij. Datum Romæ per manum Iohannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis anno dominicæ incarnationis millesimo x c i. Indictione xii. pontificatus domni Urbani Papæ II. anno iii. die Kalend. Aprilis.

*EPISTOLA VRBANI II. PAPÆ  
ad Petrum Præpositum & Canonicos  
Ecclesiæ Ruthenensis.*

**V**Rbanus Episcopus servus servorum Dei Petro Præposito & ejus fratribus in Ecclesia Ruthenensi canonicam vitam professis, eorumque successoribus in eadem religione permansuris in perpetuum. Piæ postulatio voluntatis effectum debet prosequente compleri; quatenus & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Quia igitur vos, ô filij carissimi, per divinam gratiam aspirati, mores ve-

An. 1099.